



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Vdalscalci Narratio De Controuersiis inter Hermannvm Episcopum
Augustanum. & Eginonem Abbatem S. Vdalrici Continet multa scitu digna
& in ijs Miracvla ad S. Vdalricum S. Afram praterea Epistolas ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

VDALSCALCI NARRATIO

DE

Controversiis inter
HERMANNVM
Episcopum Augustanum.

&
EGINONEM

Abbatem S. Vdalrici

Continet multa scitu digna & in ijs

MIRACVLA

ad S. Vdalricum & S. Afram
praterea

EPISTOLAS

Paschalis Papæ quinq;
Arnoldi Moguntini Archiepiscopi tres
Eginonis Abbatis S. VDALRICI quatuor.

Omnia nunc primum è codice m. S. Augustano edita.



PROOE-




PROOEMIUM SE QUENTIVM.

SUo venerabili Abbate EGINONE pro Christi postis in dispersione sancti OVDALRICI & S. AFRÆ cœnobitis OVDALSCALCVS, feruus corum, vtinam non inutilis, b'iauo donari eternæ beatitudinis.


Gratiâ Solis iustitiæ illustrati nationis prauæ atq; peruerse renuntiaſtis cæcitati, ac per hoc in persecutione propter iusticiam tribulati, Euangelica attestatione meruistis esse beati. Patrem enim vestrum spiritualem carni & sanguini præposuistis, immundum tangere nolulistis, dum ipso docente AVGVSTENSEM dictum Episcopum in interdictis Sacramentis, minimè recepistis. Quapropter vestræ quasi in præmium conceditur sanctitati, vt si qui ex vobis ab eo sunt ordinati, nulli per hoc canonum subiaceant seueritati, sed in eiusdem patris vestri pendeat potestate, ab huiusmodi contagio Apostolica vos absolueret auctoritate; maxime illos, qui post factam sibi Pontificalis officij suspensionem, vllam ab eo percipere consecrationem.

Malach. 4.
Philip. 2.
Matth. 5.

Vt autem pater idem magis ac magis honoretur vel ametur, qualiter sit Abbas constitutus literis commendetur; tum pro cauenda oblatantium falsitate, tum pro tenenda rei huius veritate. Dein quomodo dictus Episcopus inuestiatur seu ordinetur, nihilominus subnotetur, vt totum gratiæ tribuendum esse doceatur, quidquid in eo vel sub eo ab Ecclesia recipiatur. Quantis etiam miraculorum beneficijs locus vester sub tali Abbate declaratur, ad laudem DEI, memoriæ non subtrahatur. Postremo tyrannide impiorum prævalente, quomodo locum ipsum Ecclesia reliqueritis præcipiente, calamo non dissimuletur, vt ad tantum iustitiæ feruorem exequandum posteritas prouocetur.



I.


 NNO Dominicæ incarnationis millesimo centesimo nono, AVGVSTENSI cœnobio in honore sancti VDALRICI & S. AFRÆ constructo, dominus EGINO Abbas intronizatur, qui in eodem loco regulari educandus disciplina, puer à parentibus DEO, sub venerabili eiusdem monasterij Abbate DIEMARO, oblatus, per incrementa temporum ad prime sacris est literis imbutus. Puerili autem flore ad iuuenturis maturitatem perducto, honestioris vitæ pollebat studio. Sed quia Schisma vigeat ibi tunc temporis illud, cuius erat caput HENRICVS Rex; causa VVIBERTVS; consilio meliore locum mutauit eundem: præsertim cum prædicto patre sanctissimo iam dudum orbatus fuisset, & alij in eodem schismate constituto subdi noluisset. Perueniens ergo ad S. BLASSII CELLAM NIGRA in SILVA sitam, benignè ab omnibus suscipitur, ibiq; tam diu prudens tyro conuersatur, quousq; in bonæ memoriæ GEBEHARDI CONSTANTIENSIS Episcopi, de sede iam expulsi, ministeriū assumeretur. Tanta siquidem persecutionis rabie præfatus Tyrannus in Catholicam exarsit Ecclesiam, vt Neronem mysterium iniquitatis operantē ab inferis emeruisse timeres. Nisi quod ille Petro occiso nullum Sedi Apostolicæ, vt iste Hæresiarcham VVIBERTVM intruserit; cui etiam cunctis Catholicis Episcopis proturbatis, Sedes eorum per superpositos subdiderit. Illi, inquam, reuerendo præfati pater iste adeo necessarius, adeo fuit acceptus, vt sæpius legatione eius ad domnum PAPAM fungeretur; deposito interdum ex obedientia habitu monachico, vt hostis per simulatam secularium speciem falleretur. Quid plura? Totius laboris & angustia eius comes permansit individuis, donec pace Ecclesiæ reddita, sede receptus est propria. Per idem

2. Theff. 2.

idem tempus prædictum AVGVSTENSE CENOBIVM patre carebat; domnus autem EGINO, iam vt emeritus miles quietem monasterij velut in præmium receperat. Ad quod AVGVSTENSES fratres, nuntios mittentes, confratrem suum reuocabant & animo concordi in abbatem sibi eligebant: quem ille renuens vt puta, onus, honorem penitus abdicasset, si non ex supra memorati præsulis iussione, nec non multarum spiritualium vel Catholicarum personarum persuasione subire acquieuisset: maxime cum AVGVSTENSIS Episcopus, à quo erat inuestiendus, communionem Ecclesiæ iam recepisset, insuper & abiurationem omnis hæreseos in præsentia Apostolicæ Sedis legati fecisset. Nullus enim eorum, qui VVIBERTI & HENRICI consenserant hæresi, ab Apostolica fede recipiebatur, qui non prius eadem peste cum capitibus suis abiurata, Catholicam Ecclesiam publicè profitebatur.

Hoc in loco minus prætermittendum videtur, quod quidam veritatis subuersores quasi ratiocinando calumniantur dicentes: Huic patri sedem non vacasse; dum tres eo superueniente fateantur inibi sedisse. O linguam mendosam, ô labia dolosa: ideo posuerunt in cælum os suum, *Psalm. 72.* vt lingua eorum transeat in terram. Tres iniquiunt, ibi sederunt. Si tres fuerunt; aut omnes, aut duo ex illis superpositi extiterunt: si omnes; nullus eorum abbas: si autem duo; pater iste non tribus, sed vni est superpositus. Ergo siue illud sit, siue illud, falsum est quod dictum. Verum vt fidelibus, ne offendant, rei huius veritas patefiat; transcurris obturata aure Scyllæis canibus, his dictis intendatur.

Defuncto igitur eiusdem AVGVSTENSIS loci abbate uomine SIGAHARDO, domnus HARTMANNVS GOTVVIGENSIS abbas eidem præficitur cœnobio. Quod quia intolerabile visum est Ecclesiæ (talem scilicet personam

II.

nam à Schismatico Episcopo nomen regiminis accepisse) quod incautè fecit, in sua rediens correxit. Deinde non multo euoluto tempore quidam nomine BERINGARIVS VULDENSIS professus, Augustensibus vero incognitus, pro fratris sui munere obsequij, locum ipsum suscepit regendum. Qui etsi idiota fuisset, tamen quia contra statuta canonum, non à fratribus electus, vt puta, ignotus, illò aduenisset, intellexit: intelligens & ipse discedendo correxit. Hæc tamen omnia in Schismate & à Schismatico præfule sunt facta. Tandem illa generali absolutio- nis dispensatione per Apostolicæ sedis legatos, videlicet RICHARDVM ALBANVM & GEBHARDVM CONSTANTIENSEM Episcopos in Teutonici regni diffusa latitudine etiam Augustensis Episcopus amicitia non excludebatur: qui, vt prædictum est, per hæreseos abiurationem & vni- cæ Ecclesiæ professionem, reconciliabatur. Tamen quia tempus miserendi nondum aduenit, etsi religiosus alte- rius iterum loci videlicet VVEZZINESBRVNNENSIS Ab- bas & huic Augustensi superuenit. Hic quantò pruden- tior, altiora se querendo, cecidit; tantò celerior, fratri- bus quoq; suis id ipsum exigentibus, sua repetendo, sur- rexit.

Psalms. 108.

Eccles. 3.

Tandem, rebus, vt dictum est, Ecclesiasticis tran- quillè dispositis, non neophytus, non alienus, vel alio oui- li occupatus, sed loci ab infantia professus, pater EGINO, nullo præfidente, eligitur Abbas; canonicè electus ordi- natur. Et vnde vel cui superpositus? Ecclesia in Schisma- te positum deposuit: alienigena oues, vt puta non pro- prias, deseruit: pastorem suum grex derelictus rece- pit. Sic nimirum sic tribus constitutis, immo destitu- tis Abbatibus quartus, vt fertur, pater iste est superpos- tus. Sed vt oblatrantibus breuiter concludamus*; aut iste

iste statuatur, ut illi deponantur; aut illi tres approbentur, ut iste reprobetur. Ex his duobus parum laborantes, vnum scilicet probabile immo necessarium probauimus: alterum illis semper laboraturis probandum dimittimus. Nec dum stilus retrahi poterit, dum qualiter inimicus proprio confodiatur mucrone, occurrit.

Causa extitit, qua prælibatus GOTVVIGENSIS Abbas, AVGVSTAM veniens, huic patris nostri inuestituræ interfuit. Tum vero grande cerneret spectaculum, quomodo scilicet Abbas electum nostrum veluti robustior agonothea debellaret expectantium. Sic se habet popularis concursus; litibus nimirum oblectari & seditionibus, ut hinc partem plausibus attollat, inde parti illudat. Verum hic pugna non præueniente, spes illam affectantium delusa est; nullo vincente, nullo ruente. Siquidem Abbas, quod ante non fecerat, curam vel nomen huius regiminis publicè abdicarat, fratribus obedientiæ voto indulso, familiæ etiam sacramento, quo sibi erat obligata, resoluto. Ingens tamè clamor populi Deum super his collaudantis attollitur, ut & tali acclamatione insidiatori adulterans suspicio tollatur. Vides adhuc æmule, primum & maximum de illis tribus Abbatibus, dextras nobis dedisse. Videbis & vltimum, non tamen minimum, eadem postea fecisse: nisi tibi met contrarius, nobiscum fatearis, neutrum eorum necessarium extitisse. Etenim extra legem vsurpans potestatem, sicut ei cui iure debetur, intromittendo, non nocet; sic non eius, sed propriæ tantum saluti, ab illicitis cessando prospiciet. Dominus quippe facit iudicium patientibus iniuriam, non irrogantibus.

Hoc ergo ordine pater iste intronizatus, ut alter Ieremias, vitiorum spinas, quæ inibi vltra modum succreuerant, omni cœpit annisu euellere, atq; virtutum germi-

D d na,

III.

Gal. vi

Psal. 145.

Ierem. 2.

na, quoslibet viros conuocando religiosos studuit excolere. Vnde contigit, vt locus ex incolentium prauitate iam diu abiectus ac despicibilis, per huius bonæ conuersationis odorem vitæ, acceptus haberetur & honorabilis; adeo vt in breui, numero, Deo fideliter seruentium augetur, prædiis quoq; vel Ecclesiæ thesauris copiosius ditaretur. Sancti etiam, quorum ibi venerantur patrocinia, maiori signorum vel miraculorum clarificantur gloria. Ex quibus, multis prætermisissis, pauca subnotentur, quæ specialius ad eiusdem patris nostri consolationem pertinere videntur.

IV.

Matth. 12.

Quidam ex Laico conuersus, BRVNO vocatus, ab eo monachus ordinatur, aliquamdiu sanus & incolumis commoratur. Credo Tyrocinijs feruore tepefacto, vis dæmoniaca, quæ ad tempus recesserat, iam septemplex aucta redibat. Frenesi namq; arripiebatur grauitè; & sicut se habet hoc genus, vix à multis captus tenebatur. Nobis verò mirantibus super his atq; stupentibus, etiam dominus Abbas accurrit festinantius. Stridet miser dentibus, ligno duriore, ne linguam masticando consumat, fit gargarismus. Videres pectus, vt pote vbi minus premebatur, in cumulum succrescere, faciem pallefcere, totum verò corpus tremere, quælibet contigua velle carpere ac secum discerpere. At vbi benedictionem patris nostri promeruit, paulatim quasi de somno graui euigilans, resedit; sicque, vt nunquam dæmoniacus languor rediret conualuit.

V.

Alij quoq; duo ex eodem monasterio fratres, quorum vnus ADALGOZ, alter HECIL vocabatur, eadem epilepsia, diuerso tempore, non diuersè corripiebantur. Quibus vt ab ipso patre quædam sancta præcantabantur, nobis astantibus, in momento & illi sanabantur.

Turbis

Turbis aliquando ad festum patroni nostri sancti VDALRICI undique versum confluentibus, quidam homo novem iam annis & dimidio ita contractus, ut plantis pedum natibus velut innatis videretur, a fello vectus advenit. Cuius etiam a sini dorso digiti pedum sessoris impressi cernebantur; ut quantum vitium naturae dominaretur humanae, & ex animalis vulnere, contra naturam scilicet inflicto, colligatur. Hic, nobis Missarum solemniam ad altare sancti VDALRICI celebrantibus, manibus reptans, & genibus ad sepulchrum beatæ AFRÆ peruenit, ibique spe aliquantula sanitatis, ut postmodum ipse retulit, orationem fudit. Interim animo occurrit, artus iam diu contractos velle distendere, maxime cum gravius quam solebant cepissent dolere. Tota ergo nitens virute, plantas vix modicum è carniū cavernis potuit removere. Nerui verò se paulatim extendentes crepitare audiebantur, ita ut cremium aridissimum confringi putaretur. Tum ipso præ dolore nimium vociferante, à populo irruente sustollitur, & ad tumbam sancti VDALRICI defertur; ubi cum diutius sine voce & motu iacisset, subito pectus cepit intumescere; ita ut cuncta corporis interiora ibi timerentur erumpere. Quapropter cunctis astantibus, animæ egressum præstolantibus, sæpe dictus pater monasterij, saluæ folio muti linguæ supposito interrogat, quomodo valeat. Bene, inquit, domine bene; si tantum curam habebitis de me. Exinde pater accepit eum in sua. Nondum septem diebus completis, clero & populo convenientibus, CRUCEM iste tam diu vermīs & non homo, per medium civitatis portabat, cunctisq; DEVM magna cum tripudio glorificantibus, quia perfectæ sanitati redditus esset, salubus lætitiæ demonstrabat.

VII.

Puella quoq; septennis, ex utero matris clauda, parentibus comitantibus ad eundem perducitur locum: de quo etsi plura mira, & huic ætati insolita idoneis attestantibus personis cognouissemus, nos tamen ea tantum quæ vidimus subnotare curauimus. Cum esset, ut dictum est, debilis, & imbecillo corpusculo, austeriori maxime vesciebatur cibo, pro magnis deputans delitijs, si quando reficiebatur ouorum edulio vel lactis. **I E S V** nomen in ore jugiter voluebat, angelico potius quam humano vultu resplendebat. Ultra omne desiderium quotidie Dominicum delectabatur percipere Sacramentum; cui & quanta reuerentia seu lachrymarum compunctione approximabat? inspicientium crebrius conscientiam iudicabat: personas hominum iuxta vitæ meritum pensabat, dum quosdam libenter aspiciebat, à quibusdam obtutum, tanquam nequitia reuerberatum, auertebat. Nobis verò cur hoc faceret percontantibus, ac Domini cum publicanis & peccatoribus manducantis exemplum proponentibus; Ipsum, inquit, Deum testor, non causa despectionis me hoc agere, sed timoris; quod etiam riuus iste mei prodit sudoris; Siquidem, ut vnum ex plurimis dicamus, duos forte superuenientes aspiciens clericos, vnum alloquitur, alterum abominatur. A circumstantibus rogatur, ut & alterum intueatur: Ecce, inquit, annuo vestræ precationi; Sed vos amabo huic meæ parcite afflictioni. Facies enim pallebat, sudor per totum corpusculum decurrebat. Nos quasi pœnitentia ducti tristabamur quidem in doloris compassione, sed lætabamur in dubiæ rei comprobatione. Vigilantius autem de clericorum sciscitante cōuersatione veraciter didicimus, eundem quem puella detestabatur, monachum fuisse, sed habitum clerici, potiori abiecto induisse.

Matth. 9.

Sed

Sed ne aliquis obijciat, hanc illos prius cognouisse, ideoq; in vtriusq; pensatione nihil miraculi extitisse: exceptis veris, vt ostensum est, indicijs, quæ fidem dare poterant dictis, plurimorum occultiora detegebat peccata, quæ nonnunquam per confitentes verè sibi probauimus reuelata. Hæc dum in Ecclesia noctes ac dies pæne, orationum instantiâ continuaret, quadam die vespertina hora reptando circa memoriam beati V D A L R I C I ad altare vsque prouoluitur; cuius pallam cum geniculans tetigisset, repente locus quo hærebat mouetur, ita vt puella acrius laberetur. Ad cuius erectionem circumstantes ac-
P/al. 99.
 currunt, claudam ex more sessum componunt. Tum illa, Statuite, inquit, me super pedes meos, quia Dominus direxit gressus meos. Illis hoc non sine admiratione facientibus, & ne caderet, adhuc retinentibus, relictis omnibus progreditur, & quasi alienis pedibus nutando primum abutitur, sed in breui tota natura restituitur. Nec mora, in turbas rapitur, & sicut est humana curiositas, hilarior * cuius hanc domus promeretur: comitatur epulas lasciuia, hauriuntur innocentis auribus vaniloquia, atrahitur scurrilitate pueritia, minuitur boni specie gratia; D E O tamen propitio, dolore corripitur acerrimo, attenuatoq; diuturna castigatione corpusculo, in Domini confessione à præsentis nequam eripitur sæculo.

Mulier quædam A V G V S T E N S I S, nō ignota, cuius, nebula obducitur cæcitas, octo eo & amplius visu priuatur annis. Quæ dum solito ad beati V D A L R I C I sepulchrum quodam die humili prosterneretur supplicatione, subito totam repleuit clamore Basilicam, inuitans omnes ad redditam sibi lucis gratiam. Fama vniuersam conuocat ciuitatem Domini laudantem super tam euidenti miraculo pietatem.

D d iij

Pater

VIII.

Pater idem cui noster seruit stylus, testatur se quendam mutum vidisse ad sæpe dicti sancti V D A L R I C I mausoleum confedisse, cui repente solutis linguæ vinculis, loquēdi sic restituta facultas, per iudiciū currētis ex ore sanguinis.

Quid referam de Energumenis? quos ibi fere toties vidimus liberari, quoties vexari. Contigit enim quendam sc̄emina meritis beatæ AFRÆ curata & CRUCEM sicuti moris est, confluenti turbæ per mediū vrbis præferente, aliam arrepticiam in Ecclesia sanctæ Dei genetricis liberatam cum sibi iuncta multitudine occurrisse, sicq; vnitis duobus semper vincentis IESV vexillis duplici exultantem Dei populum triumpho, hinc inde cum laudibus in sua redisse.

In huius nostri templi dedicatione, præfato patre verbum vitæ ad populum aliquando faciente, quidam dæmonio vexatus, magnis cœpit strepere vocibus, ita vt magis ad eum compescendum, quam ad verbum audiendum occuparetur vulgus. Tum subito hostis humani generis, Quid, inquit, tantopere me sedatis, cum post paululum quam vtili circumferat negotio videatis? Hæc nobis audientibus, cunctosque pro viribus ab eo qui mendax ab initio fuerat auertentibus, ecce cruentatum militem missi ex acie fugientem per medium populi cernimus discurrentem, atq; vrbem ab hostibus captam terribili clamore nuntiantem; flebilis omnium vociferatio, nulla fugientium expectatio, domus Dei asylum fieri posse desperatur, dum & inerme vulgus egreditur, à suburbanis arma rapiuntur, ad locum certaminis properatur, in se quæque ruunt, nec hostem quem feriant inueniunt. Tandem in se reuersi, Satanæ insidias cognoscunt, mendosum militem requirunt, sed reperire, vtputa euanescente phantasmatis transfiguratione, nequeunt, quæ illusio quamquam ex
cuius

Heax. 3.

IIIY

cuius acciderit peccato nescitur, tamen quoties ad audiendum verbum diuinū congregamur, ne aliorum intendamus, in commune per hoc factum exhortamur.

Presbyter quidam nomine **LVIPOLOVS** eiusdem Ecclesie ædituus, iam senio confectus moritur. Per cuius sepulturam alius è vicino sacerdos defunctum sibi videre videtur per somnum, quasi catenam euomentem quinque cubitorum. Quam narrans visionem consilium fuit, omnem mortui perferendam fore suppellectilem, ne quid forte de rebus Ecclesie ibidem contigisset latitare. Domo ergo euerfa, Zona ex optima reperitur purpura, quæ ex somnij coniectura mensurata tantæ extitit longitudinis, quantæ catena visionis, à fratribus confestim recognoscitur, in vestiario reponitur.

Duos calices argenteos cum patenis quædam furatur paupercula, sed fores Ecclesie non valens egredi, nota proditur sacrilegij; capitur miserrima, reddito furto trahitur ad supplicia. Sed quæ onerata crimine, etsi occulte, non potuit effugere; exonerata manus euasit tortorum **DEO** parcente. Omnibus quippe ad hoc crudele currentibus spectaculum, quæ puniatur quæritur, sed diu quærita non inuenitur.

Gloria inquam maiori signorum vel miraculorum sancti nostri illustrantur, maiori etiam studio sub isto patre nostro veneratur. Ut enim taceamus **COLONIÆ**.... ex vndecim millibus virginum, **ALBINI** quoque Martyris, sanctorum **MAVROVVM**, nec non multas eum sanctorum vndecunque **REILOVIAS** acquisisse, quibus **AVGVSTAM** allatis, sanctos inibi hætenus latentes, videlicet **DIONYSIVM** primū eiusdem ciuitatis Ep̄m, **QVIRIACVM** cum sociis suis viginti quatuor Martyribus demū iam reperiuntur, tanquā bene notis ciuibus, assurrexisse. His, inquā, veluti nouis prætermiſſis inuen-

XII.

XIII.

XIV.

inventionem beatæ AFRÆ antiqua iam pæne obliuione abolitam, solenniter constituit celebrari; viginti quatuor prædictorum Martyrum, simulcū sancta HYLARIA passorum festiuitatem sub vna die nihilominus statuit venerari. Nec in tali fraudatur studio, dum pretiosissimo remuneratur thesauro, capite scilicet eiusdem Martyris HYLARIAE illis diebus inuento.

XV. Sed totius bonitatis aduersarius, veluti IOB, patrem istum, nō gratis Deum colere ratus, quippe qui prosperis rebus, vel honoribus sit circumuallatus, ac pro nihilo dudens exterioribus eum priuari, quasi carnem eius & ossa desiderat flagellari, dum se cum fratribus suis, tanquam carnem ossibus per cordis vel animę vnitatem adhærentibus, ab ipso loco machinatur proturbare, quibusdam ex ipsis longius à se passibus vitæ remotis, sicuti in conuiuio voluptatis igne consumptis. Ergo hic qui nomen pastori super ouile eiusdē tenet ciuitatis, aduersus eū concitauit, adeo vt qui defendere gregem à moribus luporū debuit, non ut mercenarius fugeret, sed ipse lupus effectus, oues raperet, laniaret atq; dispergeret. Cuius tamen persecutionis causa ipsi Episcopo interdictum ab Apostolica sede pontificale extitit officium; quo illo abutente Abbas noster tantæ noluit præsumptioni communicare. Vt autem finis huius rei lucidius subsequatur, initium quoque stilo cautius digerente proponatur.

XVI. Beatæ memoriæ VRBANO PAPA Romæ præsidente, sedes AVGVSTENSIS vacabat Ecclesiæ. Præfato autem Tyranno HENRICO Imperatore apud VERONAM tunc temporis morante, quippe * dona MARTILDE prohibente LONGOARDIAM non valens ingredi, nec ITALIAM obstantibus TEVTONICIS principibus egredi; quidam Comes nomine OVDALRICVS tyrannidi suæ
consen-

*Pro domina
sen domina.*

consentaneus, videns eum hinc inde magnis iactari angustis, acceptis mutuo quingentis à VERONENSIBVS talentis pro Episcopatu AVGVSTENSI, fratri suo dando sibi obtulit. Insuper & comitatum TEVTONICAS adeundi partes promisit; quod etiam persoluit. Hoc pacto luscus frater Comitibus adducitur, nec ante ab excommunicata laici manu inuestitur, quàm memoratum pondus argenti Veronensibus persolvere iuramento constringitur. Sic millium manu copiosa Comes stipatus fratrem non dico electum, sed nec facie notum inuexit Augustensibus. Cogente tamen armata manus timore, vt Episcopus excipitur; diligentius, vt agnoscat, inspicitur; paulatim cæcum se excepisse Augusta miratur. In hoc completam esse Prophetæ maledictionem in commune lamentatur: Obscurentur, inquit, oculi eorum, ne videant & dorsum eorum semper incurua. Psalm. 68
Rom. 11. Quem enim pro oculo sibi ad salutem prospicientem susceperunt, hunc exteriore & interiore cæcitate natum, ex dorsi incuruatione, id est, ex suimet tortitudine quantocius intellexerunt. Matth. 18 Cæcus namq; si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Talis ergo electus, contra statuta canonum gradu promouetur presbyteratus; ordinationem pontificatus non incongruo accessu à modo subiturus. Siquidem ab Episcopo AQVILEIENSI, qui abusiue patriarcha vocatur, sub pallio VVIBERTI hæresiarchæ, præmissis duobus iuramentis ordinatur. Cum enim ordinandus se licentiam magistri sui MACONTIENSIS Archiepiscopi huiusmodi consecrationis accepisse fateretur; nec nudis verbis ab ordinatore, etsi à duobus Apostolicis excommunicato, VRBANO scilicet atq; GREGORIO crederetur; ministerialis ex potiori familia beatæ MARIÆ, qui hoc sacramento probaret, inquiritur. Quo non inuento, tributa-

Ec riuus

rius quidam ex eadem familia, BERO dictus, optimis induitur vestibus; & primo se ministerialem militem, utputa quierat grandis staturæ, iuramento confinxit, secundo dominum suum licentiam Archiepiscopi, consecrationem accipiendi habere, sicuti ipse ad conuersionem postmodum veniens nobis retulit, coactus sefellit.

XVII.

Hoc itaq; execratus ordine consequenti visitatur omne; nouus etenim Pontifex sancta sanctorum ingreditur, DEVM non placaturus, sed irritaturus. Missæ officio, ut videbatur ad hoc peractò, Diaconus populum ad Episcopi benedictionem humiliandum exhortaturus, non mente, utputabatur, alienatus, hoc vitur præconio: Incline, inquit; capita vestra DEO. Ab omnibus exhortatio pontificalis benedictionis suggeritur: à leuita, ut populus Deo capita inclinet, iterum atq; iterum repetitur. Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Percontatus post à familiaribus utrū ex industria hoc fecerit, idem Diaconus testabatur DEVM, se non sponte, sed quasi in extasi præcinuisse. Deniq; mendacio compositus AVGVSTAM regreditur Episcopus, Clerum & populum iam libera tyrannide oppressurus. Siquidem diuites ac pauperes deprædatur; Ecclesia sanctæ DEI Genitricis infinito per eum thesauro priuatur; Canonicorum prædia vel oblationes in beneficia laicis accommodantur; horæ Canonice seu Missæ non celebrantur, dum pro laudibus Dei querelæ ob victus penuriam frequentantur. Temporibus illis præfatus Romanæ Sedis legatus RICHARDVS Albanus Episcopus in Teutonicas directus partes MOCONTIAM deuenit. Vbi cum apud INGELMHEIM HEINRICVM Imperatorem regalibus priuasset insignibus; capite nimirum hæreseos abscesso, communionemque omnibus reddita, singula in vnum Ecclesiæ pacificantur membra.

bra, Hic, inquam, hic dictus Episcopus in generali absolutione non excipitur, sed per **VVIBERTINÆ** hæreseos ab iurationem, nec dum ventilata sui causa, inter cæteros recipitur. Legato quoq; Augustam veniente, cleri ac populi exponuntur querimoniæ; dictum videlicet Episcopum absq; canonica electione seu consecratione Sedem illam inuasisse. Diligentius res audita discutitur: Si aliquis canonicorum se huic subtrahat accusationi perquiritur: omnes vnum dicentes, idem sapientes, nominatim subscribuntur: cuncta in domni Apostolici præsentia finienda differuntur: Synodus colligitur **VVARSTALLENSIS**: adsunt cum suo Episcopo nuntij Ecclesiæ **AVGVSTENSIS**: refert legatus quæ audierit, qualiterve audita distulerit: idonea iteratur accusatio; nulla prætenditur accusatio: faciliè ab omnibus cõcordatur, vt talis Episcopus deponatur. Quod & factũ fuisset, si non **GEBEHARDVS** Constantiensis in Ecclesia Augustensi hoc faciendum persuasisset. Eo namque tempore domnus Papa Teutonicum adire proposuerat regnum; quod in ruinam perficere nequiuit multorum. A pontificali tamen suspensus officio semiepiscopus regreditur. Terminus huic rei finiendæ constituitur. Augusta sui liberationem dolens præstolatur, dum in spe Apostolici aduentus defraudatur: infraq; scilicet terminum idem Episcopus, pro interdicti restitutione officij, Apostolicum adiuit: sed literas ab eo hunc in modum se continententes accepit.

PASCHALIS Episcopus seruus seruorum Dei, Augustensis Ecclesiæ Canonicis & cæteris parochianis salutem & Apostolicam benedictionem. **XVIII**

Venit ad nos non vocatus frater noster **HERIMANNVS** vestræ ciuitatis Episcopus, causam suam postulans certiori sine concludi. Nos autem querelarum vestrarum memo-

res, quod fratres qui aduersus eum in Concilio coram nobis capitula protulerant, cum eo in presentiarum coram nobis minimè affuerunt; ne qua pars aduersum nos possit præiudicium conqueri, causæ ipsius protractionem in proximas Kalendas Nouembres fratrum nostrorum deliberatione distulimus: ad quem videlicet terminum omnes qui aduersus eum causam agunt, literis presentibus ad nostram audientiam inuitauimus. Interim eidem fratri nostro potestatem concedimus, vt eos qui Ecclesiæ bona rapiunt & inuadunt, iuxta sanctiones canonicas excommunicare præualeat. Volumus enim, vt tam ipse, quàm Ecclesiæ quæ sub eo est, vsq; ad præfinitum tempus pacem & tranquillitatem, Domino largiente obtineat. Data X. Kalend. Decembris.

XIX. Has literas vix Venetium asportauit, initeq; consilio cunctos earundem conscios, vt vnius anni spatio non detegerentur, iurare compulit; sicq; fictis pro libitu mendacijs, domum redijt. Excogitatâ verò grauiori adhuc nequitia, vnum de aecusatoribus suis, qui præstantior cæteris videbatur, pretio corrupit, & literas quasi ex **AVGUSTENSIVM** persona occulte per eum Apostolico direxit. qui falsitatis nuntius benignè susceptus, dum auditur, magna contra eum Papa indignatione inuehitur: corde & corde loqui ab omnibus deprehenditur. **CVRIENSI** tamen Episcopo atq; **GOTTVIGENSI** Abbate pro ipso supplicantibus, datis veluti Augustensium respondentibus literis, abire permittitur, vera cum falsis relaturus: Vera hoc modo.

PASCHALIS Episcopus seruus seruorum **DEI**, dilectis filijs Augustensis Ecclesiæ clericis salutem & Apostolicam benedictionem.

Post

Post impetitionem quam super Episcopo vestro fecistis, dilectionis vestre literas suscepimus. In quibus quia pacem & concordiam cum eodem Episcopo vos habere nobis significastis, lætati sumus, si eandem concordiam gratis factam fuisse constiterit. Nos tamen constitutum terminum expectamus, ut quidquid æquitas distauerit, auxiliante Domino exequamur. Data VIII. Idus Februarij.

Quibus literis clam Episcopo lectis, contra nuntium infremuit, non æqua pretio sibi referri mandata obijcit, patre iterum mendacij suggerente, interminatur, ne tam aduersa prodantur, sed prospera fingantur. Egreditur in publicum, arriguntur aures expectantium; parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Dum falso benedictione Apostolica salutatur Episcopus, eademque gratia participatur populus. Nec longum euoluitur tempus, & Cardinalis nomine **DIVITIVS** à Papa missus Teutonicas adijt partes. Quo Romam regresso, Episcopo quasi per Cardinalem restituto sub nullo tamen testimonio, pontificali abutitur officio. Iam vtiliori Achitofel vtens consilio, quoslibet ex Clericis vel laicis potentiores suo secretiori asciuit consortio, ut hoc modo, inferioribus suffocatis, nemo proditor falsitatis, nemo præco esset veritatis. Pontifex ergo vix Melchisedech secundus prædicatur; cunctis retro dictis vel factis, obliuioni traditis, ut legitimus per omnia frequentatur. Sub huius medio silentij noctisque caliginoso cursu, pater **EGINO**, in veræ lucis præconem, **AUGUSTAM** ut prælibatum est, reuocatur; honore Abbatis sublimatur: assumitur & ipse in amicum, ut puta inter primos tenentes principatum: post modicum talem Episcopum miratur, dum sui patris videlicet Præfulis **CONSTANTIENSIS** recordatur. Paulatim se

XX.

Horat. de arte Poët.

1. Reg. 15. 16. 17.

Osee. 4

ab eius subtrahit familiaritate, nō à communionis unitate, quia nec dum quicquam certi de tantæ præsumptionis cognouit immanitate. Sed DEVS tantum virum huiusmodi nolens diutius ludificari figmentis, quo modo sanguis sanguinem tangat, hoc ordine reuelat. Deprehensus iam crebrius in stupri sceditate dictus Episcopus, post monialium seu aliarum meretricum scortum, perpetrasse in Ecclesia diffamatur adulterium: Cuius videlicet vxoris maritus, cum esset fortitudine ac bonitate conspicuus, facile totam ciuitatem in adulteri posset concitare necem. Sed malens gladio spirituali iudicium sibi fieri, quam materiali, Sedem petiuit Apostolicam, de crimine facturus querimoniam. Augustensis verò Ecclesia tanto scelere, quasi de grauissimo erroris somno experrecta, ad eandem Sedem literas dirigit, quid super tali Episcopo sentire debeat inquirat. Quæ infra positis informatur scriptis.

XXI.
Paschalis.

P. Episcopus seruus seruorum DEI, dilectis filiis Augustensis Ecclesiæ clericis salutem & Apostolicam benedictionem.

Pro querelis quibusdam, quæ super Episcopo vestro ad audientiam nostram ante quinquennium peruenerunt, nos ei tunc temporis officium Episcopale interdixisse meminimus. quia & à nostro id temporis legato bonæ memoriæ RICHARDO Albano Episcopo, sicut vestris significatur literis, inuitatus, & nostra præceptione præmonitus, nequaquam ad statutum terminum ante nos curauit occurrere, aut purgationis debitum exhibere. Ex illo nunquam interdicti remissionem nos ei fecisse meminimus. Latorem præsentium Apostolicæ Sedis, auxilium postulantem, vestræ fraternitati commendamus, vt in querela quam aduersus eum Episcopum

pura

pum gerit, vos eius iusticiam tueamini. Data Romæ IX.
Kal. Decembris.

MOGONTIENSI quoq; Episcopo expositæ querelæ his literis iniungitur discussio. XXII.

P. Episcopus seruus seruorum Dei, ARNOLDO venerabili fratri Moguntino Archiepiscopo salutem & Apostolicam benedictionem. Paschalis.

Super cætera horrenda & infamia, quæ de persona Augustensis, iam dudum ad Sedis Apostolicæ audientiam perlata sunt, nuper querelam ADALBERTI Augustensis cuius lachrymabili suggestionem suscepimus. Quam nimirum personis Ecclesiasticis & dicere & audire turpe est, sed ex ipsius Adalberti poteris relatione cognoscere. Tibi ergo ad quem huiusmodi discussio pro Metropolitanæ dignitatis debito attinet, literarum præsentium perceptione iniungimus, ut huiusce negotij veritatem, conuocatis fratribus, sollicita inquisitione discutias; & quod iustitia exegerit decernatis. Quod enim à vobis iuste & rationabiliter auctore Deo statutum fuerit, nos ratum habebimus.

Hoc accepto Archiepiscopus mandato, Augustensium Prælatos tali inuitat præcepto. XXIII.

ARNOLVVS Dei repropitiante clementia deuotus in Christo gregis Moguntini famulus Reuerendo Abbati vnâ cum charissimis filiis Augustensis Ecclesiæ fratribus & dominis, consilium paternæ affectionis in spiritu diuinæ consolationis.

Dilectioni vestræ fratres amantissimi insinuamus, literas nos à Sede Apostolica nuper accepisse, in quibus cū sit vestri Episcopi nobis iniuncta discussio, placuit summa diligentia id fieri, Ecclesiæ nostræ & fratrum consilio, seruato tenore canonico; ne vel actori causa pereat, vel
sum-

summum Pontificem indiligentiam nostram causari oporteat. Querimoniam vniuersam, vobis notam cum habeamus à prædicta sede remissam, suo loco & tempore retractandam, illas domni Papæ bullatas transmittimus vobis exemplatas; earum commoniti authoritate, aut dominum Abbatem, aut quoslibet ex vobis idoneos prælatos vestros, tempore VVERZEBURGENSIS curiæ, ad nos destinate. tunc quidquid nobis interim Ecclesiæ nostræ & fratrum suggererit spiritus, per vestros vobis plenius intimabimus. Vale.

XXIV. Verum quia hisdem temporibus LONGOBARDIÆ, in regia expeditione, infamatus morabatur Episcopus; Abbas noster quendæ fratribus suis nomine RATPOTONEM cum Apostolici literis Augustam delatis ad eum dirigit, vt Papam adeat de officij restitutione, seu de obiecti sacrilegij purgatione acturus, obnixius suggerit. At spreto Episcopus salubriori consilio, vt criminis conscius, solito mendacij armatur præsidio. Literæ siquidem tanquam ex Augustensis Ecclesiæ persona finguntur, per Canonicum CONRADVM & dictum fratrem RATPOTONEM Apostolico diriguntur. Quarum fallacia ex huiusmodi deprehenditur rescripto.

XXV. P. Episcopus seruus seruerum DEI, dilectis filiis, D. Decano & cæteris Augustensis Ecclesiæ canonicis, salutem & Apostolicam benedictionem.

Paschalis.

Diu est, quod frater noster HERIMANNVS Episcopus vester de tribus apud nos fuit capitulis inpetitus; de prauo videlicet electionis & consecrationis accessu; de conuersione peruersa; & de rerum Ecclesiasticarum distractione. Pro quibus ipso ab Episcopali officio suspenso, terminus constitutus est, quo pars vtrâq; ante nostram deberet præsentiam conuenire. Infra quem nimirum terminum

num

num confrater vester & concanonicus **CONRADVS** ad nos venit; & sicut ipse asserit à nobis accepit, quod Episcopus liber esset, nisi illi constituto termino conuenirent. Cum itaque nuper antenos, & de quibusdam aliis grauius idem diffamaretur Episcopus, cum his ad memoriam nostram etiam illa præterita redierunt. Vnde oportunum duximus, causam ipsius, ne diutius Ecclesiæ detrimentum afferat, terminare. Sed quoniam propter difficultates itinerum & personæ infirmitatem, nostro nequit se offerre conspectui; confratri nostro **VVI DONI** Curiensi Episcopo negotium illud prouidimus iniungendum. Præcipimus ergo, vt ipse causam omnem diligentius audiat. *Etsi Episcopus vester de rerum Ecclesiasticarum, & de peruersæ conuersationis emendationem fecit; & de aliis, quæ obiecta sunt, tertia Episcoporum vel quinta presbyterorum manu se purgauerit, restitutionem interdicti sibi officij consequatur.* Data **BENEVENTI** Kal. Aprilis.

His literis aliquantisper immorandum videtur, dum plena in eis superiorum notitia continetur. Primò namq; primum ponitur, quomodo iste, vtinam mercenarius, non per ostium, sed aliunde ingreditur; ingressus vt ma-^{IOH. IO.}ctet & perdat; pro consecratione execratur. dein consequentia, peruersa scilicet vita cum rapina. Terminus, inquit, constituitur, quo pars vtrâq; inuitatur. Pars accusata literas terminum indicantes sub iuramento vt prædictum est, celat, vt altera loci iustitiæ ignara obmutescat. A neutra ergo parte aditur. Et hoc est, quod dicitur, quod Episcopus liber esset, nisi illi constituto termino conuenirent. Tamè irrefragabili determinatur oõfirmatione; sicut inquit, Conradus asserit. O prudentia Romana, quanta obdormisti, quod gratia tui dixerim, negligentia; ne

Ff forte

forte dicendum sit, te ut bonum quandoque dormitare Homerum. Cur, sicut ipse asserit, non sicut tu asseris, cum memoriter cætera noueris, numerum diffinis capitulorum, officij non taces suspensionem, quo cuncta discutienda seu finienda fuerant, repræsentas terminum, libertatis tantum conditionem nescis, ut & nos nescire cohorteris? Sed quoniam, inquiunt, propter difficultatem itinerum & personæ infirmitatem & cætera. Hinc evidens colligitur mendacium; itinerum scilicet difficultas & personæ infirmitas, cum, ut postea resciuimus, præsentari nollet sanissimus. Nam dum eundem Canonicum, cur huiusmodi confingeret, percontaremur, apologeticum, Verum, inquit, dixi, cum cæcum à Natiuitate pro infirmo duxi. Cæterum ne quis miretur Archiepiscopo iniunctum negotium alij Apostolicum commississe discutiendum; sciat istum Canonicum huius videlicet varietatis auctorem, CVRIENSIS Episcopi fuisse fratrem, ideoque MOGONTIENSEM ut Regis inimicum Augustæ abominari, fratrem verò suum in hac causa ibidem asseruisse non detrectari. Cautius tamen & ipsi iniungitur; si nimirum Episcopus de rerum Ecclesiasticarum, & de peruersæ conuersationis emendationem (sicuti falsæ testabantur literæ) fecit. & cetera. Hic, inquam, Episcopus multis conductus promissis Augustam venit; clero ac populo obiiciente, non nisi facta ficta emendatione, purgationem Episcopi minime recipi debere. Quatuor infames eliguntur personæ, quinta Sacramentis addicitur pœnæ, dum plusquam à quingentis conuincuntur falsò iurare. Sic purgatus Episcopus interrogat Episcopum, si iam pontificale licitum sit officium. Hoc eo non annuente, sed ut Apostolicum pro eius restitutione interpellet, persuadente, dis-

cessum

cessum est. Tum iterum dictus Episcopus in regie con-
tubernio expeditionis Italiam proficiscitur, armata ma-
nu iam tertio domum beati P E T R I ingreditur; cum ex-
communicatis communicare non veretur. Non differt
Archiepiscopus hoc taliter intimare Augustensibus.

Arnoldus D E I gratia Mogontinæ Sedis Archiepi- **XXVII.**
scopus domno * E. Abbati Augustensis cœnobij cum cæ- *Egimoni.*
teris fidelibus Ecclesiæ Catholicæ membris, coalescere
in corpus Christi in Spiritu vnitatis.

Iam dudum clamor ascendit in cœlum super eo, qui *Exodi. 2.*
vester dicitur Episcopus; atq; ab ipsa, vt nostis, Apostoli-
ca Sede querimonie seriem & præceptum discutiendi il-
lum accepimus. Quia verò charitas nunquam excidit, & *1. Cor. 13.*
odientes etiam diligit, ex superabundanti, si fieri potest,
fugientem reuocaremus, & magnis vulneribus magna me-
dicamenta componeremus, si ægrotus vester se ipsum re-
cognolceret, & medicum etiam vocantem nō detrectaret.
Nūc igitur quodāmodo vos ista causa vocat; in quamcūq;
partem ceciderit, consilium videtur, quatenus ex nostra
commonitione viua illum voce conueniatis, vt respiscat,
vt saluti suæ nunc saltē consulat, excommunicationis con-
tagia deserat, & non vsq; in finem præuaricando excedat.
Nostis, nouit & ipse, quam horribili comminatione di-
stractus, ab ipso beati P E T R I Vicario sit, longo iam
tempore, officio suspensus; neque tamen aduerterit,
qualiter etiam excommunicatione se contaminauerit
& nullam salutis viam exinde quæserit. Proinde sicut
nos quod nostrum est, ita & vos quod vestrum est,
facite; Ecclesiastica correptione illi intimate, quia vici-
nior erit illi via salutis, si se ipsum humiliauerit & ve-
niam quæserit, quàm si audientiam synodalem expe-
ctauerit vbi iudicem in neutram partem flecti oportebit.

Ff 2

Quod

Quod si vestrae fraternitatis verba & nostra haec monita non attenderit, illi interim praeter iam veritum officium, cleri populiq; obedientiam auertimus; quia ipsum irrevocabilem & inobedientem iudicamus.

XXVIII. His literis ab Abbate receptis, totique Ecclesiae lectis, Episcopus egreditur, non dubitans quin pro catholico suscipiatur. Ecclesiam ergo nostram ex more ingreditur; à nemine occurritur. Siquidem Abbas interdictum abnuerat, suisq; hinc cauendum indixerat. Quæritur contemptus causa; referuntur vniuersa. Tum verò nihil humanum nomine cereres; bestiam ex fremitu vel discursu putares. Blasphemij Abbas minisq; afficitur; ut publicus regni hostis proscribitur. Urbis tamen ciuibus tanti viri expulsionem non ferentibus, propinquorum amicorumq; turba colligitur armata: nec sic quidem potest effectum habere voluntas pessimè concepta. Interim Archiepiscopus alias eò dirigit literas in hunc modum.

XXIX. Sanctæ Augustenſis Ecclesiae filijs & fratribus, cum * E. Abbate sancti V DALRICI, ARNOLDVS Mogontinae sedis minister indignus, fraternam dilectionem cum oratione.

Quod proximè à domino PRÆNESTINO Romanae sedis legato Apostolica auctoritate denuntiatur, fuit vobis, nos quoque eadem denunciamus vobis. Sed quia haec neglexistis, nec vos nec ille quem dicitis Episcopum vestrum, sancto concilio interfuistis; ipsum quidem, quia iam diu à domno Papa episcopali & Sacerdotali suspensus est officio, communionem corporis & sanguinis DOMINI vsque ad satisfactionem priuatum esse sciatis: vos autem adhuc nostra intercessione dilatos, idem tamen subituros nisi sancto concilio FRIDELARIAE V. Kal. Augusti

Augusti celebrando, Abbates & Prælatos Ecclesiæ vestræ interesse faciatis. Quod quidem sicut in mandato accepimus, Apostolica auctoritate & nostra præcipimus. Præterea super querela illius vestri ADALBERTI nos eadem firmasse, quæ Apostolicâ sedem fecisse cognouimus, fraternitati vestræ notificamus. Adulterum enim & adulteram & omnes consentientes excommunicauimus. In qua damnatione vester dictus Episcopus non excipitur, quia non faciendo iustitiam patienti iniuriam, consensum criminii adhibere probatur.

Quibus item à patre nostro prædicatis, cunctisque iam ad Episcopi facinus per regium timorem procliuus, totum pondus præhij solius Abbatis imminebat capiti. Sabbatum sanctū Pentecostes superuenit, in quo non longe pro baptizanda cuiusdam Comitissæ filia à monasterio recessit: Episcopus verò exploraturus si chrisma suum recipere mus, idem petiit monasterium. A Priore loci nomine MARKVARDO, baptismatis agitur officium: dum ad hoc venit, Episcopo iubente chrisma nostrum ab Antistite, catholico acceptum ministro, aufertur, suumque baptistæ offertur. Tum ille quasi alienum tangere formidat, notum Sacramenti vasculum quæritat. Hoc, inquit, portitor execratiliquoris, accipere debetis, aliud non habebitis. Voce publica profertur baptista, nolle se hæretico inquinari Sacramento. Exiit Episcopus, vociferatur altius, fit in populo strepitus, discurret clerus, diuina & humana habentur promiscua. Quid ageret præcursoris Christi discipulus? tantum spiculatoris præstolabatur gladius; nisi quod Iohannem Herodes in carcere, istum iuxta altare hostis trucidaret Ecclesiæ, vterq; tamen occumberet pro veritate. Tanto quippe furore Præsul debacchatur, vt non sibi imperanti, sed populo non obtemperanti

XXX.

Matth. 14.

Ff iij

ranti

ranti sacrilegij dilatio iure ascribatur. Tandem Missarum solennia inchoantur, Sacerdos ad altare progreditur, vere dignam Deo hostiam immolaturus, ipse pæne victima paulo superius: Psallentium ora blasphemijs obstruuntur, ab Ecclesia vi expelluntur, Diuina ex hoc officia fratribus interdicitur. Hoc triumpho contentus Pontifex contemptus, claustrum ingreditur; mensa pransuro apponitur. Saturatis omnibus exitur, pater cœnobij regreditur, series rei gestæ retexitur. Vespertina synaxis Abbate incipiente solemniter agitur, eoq; magis insistendum diuinæ seruituti pater idem hortatur, quo ad Sathanę iniuriam fieri credatur. Ipse verò iam non in palam procedit, dum vndiq; timor mortis occurrit. Audax namq; pessimorum perquiritur contumacia, pro nece Abbatis, copiosa pecunia, seu alia promittuntur beneficia; Episcopus hoc non pro sacrilegio sed pro iusto fieri indicit iudicio. Processione tamen ordinata sanctæ Dei Genitricis intratur Ecclesia. Vbi dum totius ciuitatis conueniret populus Abbate iubente, literæ superius positæ recitantur, laicis quoq; interpretantur. Hæc est, inquit pater, causa, pro qua tam, vt nostis, patior aduersa. Ecce eiior cum pueris quos mihi dedit Deus, à facie vestra; sit omnium horû vestra testis conscientia. Quo factò Letania incipitur, minitans ceruici gladius Deo protegente sine læsione transitur.

XXXI.

Iam decimus ordinationis patris huius instabat annus, & quasi decimæ bonorum fructuum offeruntur Deo, dum propter iustitiam pater cum filijs priuatur domo. Eodem quippe monasterio hostili manu repleto, nulloq; fratre qui patrem sequi nollet inuēto, pax fugæ obtinetur, egressus à nouis viatoribus præparatur. Nec defuit vltionis diuinæ præsagium, quo & superbi perterrentur, & humiles

les consolarentur: ambitus enim monasterij terræ motu
 validissimo quassatur, Ecclesia cum terra campanis hinc
 inde percussis ruinam minatur, sepulchrum beatæ AFRÆ
 dissoluto metallo aperiri videtur, comitatus dominæ hoc
 signo famulis dispergendis spondetur. Gratiarum actio-
 nibus Dei qui in sanctis suis est mirabilis propensius per-
 actis, pedestri turba peregrinum sæculi salum calcatur,
 ex utroq; latere vda plangentium ora fixis in terram vul-
 tibus dissimulantur, L I C V S transcur, monasterium san-
 cti Petri non longe positum aditur, sic multus occurrenti-
 um apparatus, finitis Dei, quibus excipiebantur laudibus
 seu sacratissimæ lectionis consolationibus, sub nostro pa-
 store duplicati gregis adunatur ouile. Vbi dum vix septem
 moraremur diebus A V G V S T A loci sui capitalis non fe-
 rens destructionem, Episcopum vt alterum conuenit E-
 geatem, in cōmune reuocari postulatur, importune red-
 di exigimur, Parasceue per omnia simulatur, dum alta-
 ria denudantur, signa non pulsantur, diuina officia sub si-
 lentio lamentantur. Aptiores ergo eliguntur personæ, pro
 nostri diriguntur reuocatione, quidquid contrarij subie-
 rimus, literis promittitur non repetendum vltius,
 Communicato virorum catholicorum consilio regredi-
 mur, clero ac populo in obuiam ruente, cum laudibus ex-
 cipimur. Sed Sathana cribrari nos, vt triticum expetente, *Luc. 12.*
 Christus pro Petri interuenit fide, dum falsi fratres inter
 nos discernuntur, veri nō subuertuntur. Nouo itaq; con-
 gredimur prælio, pestifere suasionis delinimur blandimē-
 to, vt videlicet patri nostro renunciantes, alterum eli-
 gamus, cum illum vt puta Præsulis inimicum habere ne-
 queamus. Abbasocius remanentibus inibi subiectis pro-
 turbatur, locus perpetrando sceleri datur. Nec sic
 dolore concepto ad iniquitatis parturitionem perducto
Psal. 7.

vt

Matth. 2.

vt Abbas iam è medio tollatur, hoc modo excogitatur. Impiorum turba colligitur, Abbati locus iustitiam defendendi promittitur, nihil quàm vt in præsentiam veniat restare nuntiatur. Lætior pater ad urbem properat, concludere paratus quidquid proposuerat. Verum ille, qui per angelum suum Ioseph reuelat, vt cum IESV in Ægyptum Herodianam declinans persecutionem descendat, ipse nihilominus, vt innocens huius patris sanguis non effundatur, præcauere dignatur. Maximam etenim itineris consumpsit partem: & ecce obuium habet nuncium, literas à fratribus suis ferentem, quæ intra & extra urbem insidias ei indicant paratas, Abbas conuertitur, à cruenta disputatione tortorum eruitur.

XXXII.

Interea rex iam secundo excommunicatus, TEVTONICVM ex ITALIA adiens regnum, AVGVSTAM cum duobus eadem excommunicatione damnatis ingreditur Episcopis. Qui cum à fratribus prædictis accuratius susciperetur, pastor bonus dolens gregem sibi commissum, hac participationis contagione esse temeratum, huiusmodi dirigit ei mandatum:

Iosn. 14.
Matth. 2.

Nouit fraternitatis vestræ discretio, quomodo matri nostræ sanctæ Ecclesiæ condolentes, corpore & spiritu fugerimus illam persequentes; nouit quibus pacis & veritatis promissionibus sumus reuocati, nec tamen à promittentibus consecuti. Mundus enim pacem promittere potest, dare non potest. Ego autem pacem illam, quam Christus discipulis suis dedit, inquirens Herodianam iterum persecutionem cum ipso IESV in nocte tribulationis declinaui, vobis tamen prius id ipsum faciendum intimaui. E contra Dominici timoris & paterni amoris obliti, alienum pastorem vos meæ paruitatis grex, vos inquam filij mei, quos in Christo genui, illum GYNTHERYM nostræ

1. Cor. 4.

stræ professionis inimicum, ad quælibet estis secuti. Me
 etenim, qui locum defendendi iustitiam in conspectu to-
 tius Ecclesiæ desidero, violenter expulso, vobis potius
 congrueret nudipedalis lamentatio, quàm regalis sine
 capite iubilatio. Hæc vobis honesta occasio, hæc meæ
 expulsionis fraterna posset prætendi compassio. Huc ac-
 cedit, quod illum alterum Iudam, traditorem meum
 dicam **RATPOTONEM**, quem, meo spiritu & corpore vo-
 biscum congregato, tradidi satanæ in interitum carnis, *1. Cor. 5.*
 modis omnibus sequendo & amplectendo in communi-
 onem recepistis, partim illi communicantibus non resti-
 tistis, sicque huiusmodi contagione penè omnes polluti
 estis. In quibus omnibus, quia **Episcopi** præceptis obtem-
 perastis, votum obedientiæ, quod mihi coram **DEO** &
 Sanctis eius singillatim per nomina promisistis, cheu vio-
 lastis. Quid ultra faciam vobis? domnum Priorem, ma-
 gistrum vestrum, post me fugientem, me sequentem, per
 illum dictum raptorem **RATPOTONEM**, quod dictu ne-
 fas est, despoliastis. Et si in hoc non omnes, ut credo, con-
 sensistis, in facientes tamen non digna ultione exarsistis.
 Quid dicam? Anathemam in medio tui est Israel, non po- *Iosue. 7.*
 teris stare contra hostes tuos. Senior noster dominus **EN-**
CEILBOLDVS, non ut Mathathias in vobis Princeps sur- *1. Machab. 2.*
 rexerit. Ipse videat quid fecerit. Veruntamen quia ipse
 & alij per pauci obedientiæ suæ mihi, post hæc omnia, man-
 dauerunt obsequia, quod dixi præsens, præcipio & absens.
 Dixi enim vos locum non debere mutare, quamdiu posse-
 tis à cõmuniõne illius **Episcopi** vos obseruare. Quod quia
 præuaricati estis, vel nunc saltem, qui Domini velit fieri, me
 non tardet sequi. Ego enim vos non longe vobis expecto,
 si quo sex vobis recipere promeruerõ, gratias ago. Interim
 illum **HEINRICVM** dictum malorum inueteratum, com- *Dan. 12.*
 G g **munio-**

XXXIII. communionē corporis & sanguinis Domini sciatis esse priuatum.

His auditis altius quidam ingemuere, quidam derisere, Presbyter verò nomine *EBERHARDVS* cum bonæ indolis adolescente *ODALRICO* monasterium egressus *LICIOVE* torrentibus vix transcurtis cum paludibus, lassos pedites missi à dicto *RATPOTONE* insequuntur equites. Inermes ab armatis capiuntur; despoliati vt oves minantur; euasum vtcumq; gurgitis periculum intrare coguntur; in derisum vulgo per medium platearum nudipedales reducuntur. A quibusdam mitioribus impetratur vt præda illis reddatur, sed à *Ratpote* hanc in præmium recipiunt, vel si quid talibus perfugis auferre possent. Dimissi iterum eandem viam arripunt, patris sequi præceptum, etsi artibus, animis non deficiunt. O miseram rerum faciem. In vasti medio campi, iam defecti, prosternuntur; frigore vndosa membra dissoluuntur, diei consolatio tollitur, noctis terror inuehitur. Tandem respirante aliquantulum fortiore, per deuia discurritur; si qua humana appareat cōuersatio, cæcæ vultu visu palpatur. Villa ex improviso offenditur, domus contiguæ ostium pulsatur, quis intēpesta nocte adsit percōtatur. Vt pauperibus, causa Dei, aperiatur humiliter supplicatur. Quāuis tardè, intromittitur, focus acceditur, quod verè pauper sit cernitur. Pro socio in via derelicto interpellatur, precib⁹ annuitur; plastro impositus sacerdos, vt à samaritano in stabulum ducitur. Tepe factis arrubus, apponitur ieiunis cibus; matutini aguntur: ad locum sibi conditum proficiscuntur. Alij quoq; fratres monachi habitu deposito, negotiatoribus iunguntur, alij noctu effugientes patrem nostrum sequuntur. Quidam verò ex ipsis subdola intentione obedientiam abbati suo demandant, nec tamen passibus corporis, sicut nec cordis appropinquant. Quibus istis respondetur literis. *Egino*

Luc. 10.

Egino Dei gratia, quod est; fratribus, diligentibus De- **XXXIV.**
um omnia cooperari in bonum. *Rom. 8.*

Literas obedientię vestrę fidelitatem insinuantes, iam
sæpius accepi; sed quod eadem fides non sit in vobis vni-
uersalis, testatur dissensio, imò contentio particularis. Par-
tes autem discordantium non habet Ecclesia. Ergo illi ex-
tra Ecclesiam tūc conuincuntur, qui fidem quę est in Chri-
sto irritam fecisse concluduntur. Vnde nollem vos quasi *1. Cor. 11.*
in commune eulogia obediētīę ad me direxisse, sed magis *1. Tim. 3.*
diuisos à nobis corde & calamo diuisisse. Qui enim lega-
tioni proximè vobis à me factę non timuerunt detrudere,
eorum nomina ad verecundiam filijs iniquitatis non oportet
latere, Rogo autem, quid eos ibi offenderit dicant. Puto
filios regni regalem monitionem perturbasse. Ponam *Matt. 2.*
iterum eandem monitionem ad eorum confusionem, vel
quod mallet ad eorum correctionem. Me, inquam, qui
locum defendendi iustitiam in conspectu totius Ecclesię
desidero, violenter expulso, vobis potius congrueret nudi-
pedalis lamentatio, quàm regalis sine capite iubilatio. Si-
ne capite, inquam, hoc est, sine Abbate, sine Priore; iterum
atq; iterum dicam, sine capite. Abbas inquit, GYN-
THERVS tantum astabat. Quis iste locus defensionis? Quo-
modo astabat? Pro capite an pro cauda? Ipse non cōcedit
pro cauda; & vos non conceditis p̄ capite illum astitisse. Vt
esset amborum neutrum, & illius vsurpatio, & vestra inuali-
da probauit reluctatio. Me, inquam, violenter expulso.
Nonne ipsi rationi vim facere videntur, qui huiusmodi di-
ctis Regi me iniuriam irrogasse fatentur? An vno è duo-
bus concessio alterum non conceditur? An cum musica in *Eccles. 28.*
luctu excluditur, in gaudio non admittitur? Hoc modo fi-
lijs sponsi me qualicunq; illis ablato, magis congrueret nu-
dipedalis lamentatio, quàm regalis sine capite iubilatio.

Gg 2 Quare

Quare ipsam literam literati non attendunt? Nonne nudis pedibus incedere, est iudicem ad misericordiam flectere? Ergo illi magis Regem offenderunt, qui ficta lætitia ac per hoc duplici corde ipsi occurrerunt. Hæc, inquam, vobis honesta occasio, non vt suspicantur Regem non honorandi, sed non iubilandi; hæc mei expulsionis fraterna posset prætendi compassio. Hæc verba & exponimus, pueris ludum facimus, cum aperte confundat offendentes in superioribus. Cæterum vt cœpistis, hostiam vociferationis non immoletis, videlicet ab officio Missæ abstinendo & horas Canonicas sub silentio, vigilantè tamen persoluedo. Ad vltimum verò sua monita vel præcepta huiusmodi concludit sententia.

Psalm 26.

XXXV.

Rom. 15.

Egino Dei gratia, quod est, electis in Christo, propter quos omnia sustineo, Id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum.

Quoniam vestræ fraternitati cuncta quæ de instantibus periculis dicenda erant, tam absens quam præsens intimavi, restat, vt optemperâtes nobis in Christo à facie iniquitatis in sinum matris Ecclesiæ colligamus; apostatantes autem à Deo, ac per hoc à nostra obedientia, quia filios DEI conturbant, iustæ censura sententiæ abscindamus. Præcipimus ergò in verbo domini, vt quicumq; in vobis e filios Ecclesiæ recognoscunt, in contaminato per inobedientiam loco vltèrius non remaneant, ne cum Dathan & Abiron inferno deglutiente pereant. His verò qui in hac qua cœperunt contra nos contumacia perdurare decreuerunt, eundem locum in virtute sancti Spiritus interdici- mus, ne per illos diutius nomen Dei blasphemetur in gentibus. Miro etenim modo localem facere obedientiam & conditionalem nituntur; cum non nisi in ambitu quatuor parietum claustrum, & non irato contra Abbatem Episcopo

Num. 16.

*Rom. 15.
Rom. 15.*

scopo monachis eam seruandam esse fatentur. Hi quia Sarabattarum lasciuia sequuntur, à fortissimo genere cœnobitarum excluduntur. Vt autem finem multimodis verbis faciamus, omnes voto sanctæ obedientiæ nobis in Christo obligatos, ad locum per nuntium, nostrum conditum inuitamus; alienantes autem retrorsum ac nostræ fraternitatis fugientes consortium ab unitate corporis Ecclesie gladio spiritus, quod est verbum Dei amputamus.

Ephes. 6.

XXXVI.

Augustensibus de his omnibus Abbatem incusantibus, suiq; destructorem loci inelamantibus, pater idem scriptis excusatur talibus:

Sanctæ Augustensis Ecclesie filijs vniuersis, E G I N O, Dei gratia, quod est.

Novit beatitudo vestra qualiter apud vos hætenus conuersatus sum, quomodo vi expulsus discesserim, & quomodo vocatus redierim. Huius vocationis credidi promissis; maximè quia catholicis redundabat dictis; dum quidquid iustum, quidquid Canonicum, quidquid tam vestræ quam meæ saluti esset necessarium, loqui inter vos sit mihi concessum, imò loquenti consilium & auxilium vestrum non sit negatum. Ex hoc nihil his contrarij, nihil noui, nihil locutus sum dubij, vnde deberem, nec confessus, nec conuictus, expelli. Iam profugus recessi, quid ultra patimini fugientem persequi? Fratres mei, sancta obedientia vocante, me sequuntur, quos inermes armati ex vobis insequuntur, & contumelia afficientes deprædantur. O prudentiam, ô fortitudinem Augustensium ad hoc redactam, vt vni homini sancta illorum cœculcantire sistere timeant, subijci non erubescant. Siquid empræcepto illius Apostatæ Ratpotonis, monachorum persecutoris, obtemperatur in vobis, dum qui nullius est apud DEVM dignitatis, tantæ sit apud vos potestatis, vt postquam

G g ij

quam

quam qui nos lingua dolosa expellat, etiam gladio perfe-
qui præualeat. Tandem precor redite ad cor, Quia si
facti intrinsecus fueritis, me non nisi vera inter vos dixisse
videbitis, ac per hoc à persecutione mea cessabitis. ---

----- Hiatum hunc resarciri posse iam quidem mihi nulla spes est; quod
aliud exemplum, quantum ego scio, non extet. Aliena quedam in-
serta erant; ab alia manu postea id factum, ne pagellæ vacarent sci-
licet.

Philos. 119.
1. Ioum, 4.

Reuerendæ paternitatis ac diligendæ fraternitatis,
cunctis vtriusque sexus in Christo fidelibus, EGINO ille
cuius incolatus est super terra prolongatus, cœlestis patriæ
associari ciuibus.

Quoniam DEVS charitas est, & qui manet in charita-
te in DEO manet, & DEVS in eo, omnis qui manet in
DEO, imò in quo manet DEVS, nimirum spiritu chari-
tatis est repletus. Ex fonte verò dilectionis riuulus ema-
nat compassionis. Hoc igitur salubri fonte redundanti-
bus necessarium duxi paucis absoluere, quibus subiacue-
rim casibus, præmissa causa quæ tot prouocauit aduersa, vt
virtus compassionis crescat ex causa iustitiæ & veritatis.
Quamuis enim peccator indignus officio regiminis, vt
multi vestrum nouerunt cœnobij fungebar AVGVSTEN-
SIS. Vbi quanta DEVS nostris temporibus, non dico
meritis

meritis fecerit; quod videlicet religiosos viros inibi coadunauerit, quamque virtutibus rebus quoque exterioribus locus idem in breui succreuerit, non modo vicinos & contiguos, sed etiam remotos latere minimè potuit. Verum quia iuxta egregium prædicatorem, oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant, expetente Satana vt cribraret nos sicut triticum, quem defensorem ac propugnatorem sperabamus, vtputa gregis dominici pastorem, AVGVSTENSEM Episcopum, crudelem sensimus persecutorem. Qui cum à beatæ memoriæ Papa PASCALI pro diuturna inobedientia, in omni pontificali officio fuisset interdictus, atque à successore eius GELASIO secundo, nec non à sancto adhuc superstite Papa CALIXTO secundo, absq; spe eiusdem recuperandi officij sit damnatus, ab ipsa Apostolica sede hoc accepimus mandatum, huiusmodi vitare vt mortiferum. Nos tamen vt minus perfecti non statim ad hæc implenda conualuimus; cum PÉTRO scilicet ad ancillæ carnis vocem adhuc pertinuimus; cum tam nefanda, potius humana sapientibus acquiescendo, quàm diuinis & Apostolicis præceptis obtemperando, dissimulauimus.

Denique ipso contra ius fasque omnibus modis grassante, adeò vt catholicum Papam respueret, Burdinum reciperet, nomenq; eius in cerei Paschalis benedictione recitari præciperet, ac plebem sibi subiectam, tanti hæresiarchæ literarum salutatione pollueret, nos etiam in his omnibus secum contaminari cogeret: tandem vt arcus fortium superaretur, nos hætenus infirmi diuino robore accingimur, in medium progredimur; cum APOSTOLIS, et si longè impares, protestamur: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Hac voce non minori quàm

1. Cor. 14

Luc. 22

1. Cor. 15

Ioan. 18

1. Reg. 2

1. Reg. 3

Iean. 61

quàm Scribæ & Pharisæi Pontifex iste commouetur furore; dum mox vincula & carcerem minatur & exilium: nec vnquam cessauerit, quovsq; ego & fratres mei, qui cum XII. Christum sequebantur, aliis retro abeuntibus, à monasterij quiete proturbamur. Nec tamen huic præsul post innumeras contumelias & iniurias, nostri suffecit expulsio, quin in omnes terræ fines nos eius pro posse sequeretur persecutio. Quamobrem cum Archiepiscopum nostrum, nec non magnum Episcoporum, Abbatum seu Principum Catholicorum adirem colloquium, expositæ querelæ; in commune pro sceleris immanitate mirantur & lamentantur. Proinde communicato prudentiorum consilio ad Romanam dirigit sedem, tum pro speciali nostra necessitate, tum pro communi Ecclesiæ utilitate. Quod iter cum arripere, ex hostium insidiis periculosissimum, potius per deuia quàm regia via utcunq; perueni PLACENTIAM. Vbi dum puer meus, quem ab infantia nutrieram, cū omnibus rebus nostris, exceptis equitaturis, nocte aufugisset; qui in paucis sapius de itineris perfectione diffidebam, in nihili iam, de eius, qui cuncta creauit ex nihilo, misericordia, præsumebam. Quid plura? Per abrupta montium, per vastissimam eremum, per terram famis & sitis, vbi vestigium non inueniebatur hominis, transuimus. Sed quasi in precium tanti laboris domum Apostolicum in maritimis locis videlicet apud ROSELLAM ciuitatē inuenimus; à quo hilarissimo ut est vultu recipimur. ROMAM vnasecum deducimur, relaturi terræ nostræ, ut ipsius verbis utamur, triumphum Ecclesiæ. Iam enim quis illius terræ concursus? quantus omnis sexus & ætatis apparatus? militiæ quoq; Romanæ, vltra trium dierum iter occurrentis, quàm iucundus fuerit commitatus, Cæsar, si superesset, indignans miraretur; Tullius

lius forsitan attraheretur, dum vexillo CRUCI somnium
 consulum & Imperatorum superari trophæa conspicere-
 tur. Appropinquante verò summo Pontifice ad Urbem,
 puerorum & infantium cum ramis omnigenarum arborum
 occurrentium excipitur laudibus; quos ne quis oppri-
 meret vel abigeret, cum Iesu benedicens aiebat, *Matth. 19.*
 finite paruulos venire ad me, talium enim est regnum cœlorum.
 Deinde coronatus vt regali sacerdotio Ecclesiam credas
 potiri, per mediū deducitur ciuitatis, plateis auro, gemmis
 pretiosissimis, pallijs vndiq; adornatis. Nec defuere Gre-
 corum & Latinorum concentibus confusi Iudæorū plau-
 sus; vt cæca gens vel inuita confiteatur, vnde magis pu-
 niatur. Vix hora decima cum esset. III. Non. Iunij,
 à mane protracta rarefcit processionum frequentia, quan-
 do & idem pater vniuersalis à Lateranensi exceptus Se-
 de in palatium, vt moris est iudicum legali perducitur
 carmine. Ab hinc vsque in Kal. Iulij præsentia iugiter
 tantæ sanctitatis perfruebar viri, hac instantia nesciente fa-
 stidium, quia semper in maius accendebatur desiderium.
 Siquidem hilaris vultus sub morum grauitate; dul-
 cedo affabilitatis sub verborum pondere; ieiuniorum seu
 vigiliarum discretio, absque eo, quod intrinsecus latet,
 cunctis intuentibus in eodem patre vno atque eodem spi-
 ritu operante mirabili effectu patet. *Cant. 4.* Laus omnis inferior,
 dum vir istereuera Apostolicus virtutibus & miraculo-
 rum signis comprobetur sublimior Quæ quia tota FRAN-
 CIA, LONGO BARDIA, TVSCIA, atque APVLIA
 prædicat, huius angustia chartulæ supersedeat. Igitur
 percepta à Sanctis eius manibus dominici Sacramenti
 communionem, & inter crebra oscula, largissima bene-
 dictione, iter rediturus arripui, nauique per mare tran-
 siturus, apud OSTIAM ciuitatem cum AQVENSIS Epi-
 scopo

scopo intraui. Quæ cum socium laboris nostri fratrem
VDALSCALCVM præ hominum multitudine capere non
posset, quæ tamen cum nostra erat itura ascendit.
Sed mox pelago turbato naues in tantum sunt disiectæ quod
infra XIII. dies nec loqui inuicem potuimus nec videre.
Cœpi ultra modum de amisso fratre contristari, ex tristitia
infirmari, vixq; P I S A S valebam deportari. Vbi qualiter
frater me inuenerit, quidue post ea de me factum sit, ipse fi-
deliter referat, animamq; meam vestris orationibus com-
mendet.

Heu me Pater amande, quid agam? orphanum & pu-
pillum in exilio derelinquis filium, & tu ad patriam pergis
& ad Dominum. Paucissima ponam verba, quia magis tunc
iubilabam dolore, quam garriebam ore. Igitur decimo
quarto, vt dictum est die, post innumera maris, famis, &
sitis pericula, P I S A S & ego perueni, sperans laboris & do-
loris mei finem, cum scilicet dominum meum & patrem
reperirem, sed tristitia super tristitiam, illo iam in extremis
posito, mihi accumulabatur, nec vlla spes consolationis in-
ueniebatur. Tum vero quantis pater filium amplectitur
suspitijs, quantis filius patrem infundit lachrymis, pretiosa
in conspectu Domini mors eius testatur. dum me qui pe-
rieram recepto, mox à præsentis sæculo nequam erui pre-
catur. Fratribus ergo suis & amicis per me valedicens, & vt
in Ecclesiæ obedientia ad mortem vsq; permaneant ex-
hortans, tanquam præsentia fastidens, ad futura iam ra-
pitur: vsq; ad vltimum enim spiritum nulla ex ore eius nisi
vox psalmodiæ auditur. Psalmus autem hic erat quem sæ-
pius replicabat. Laudate pueri dominum laudate nomen
domini, Cuius & extremus versiculus egredientem comi-
tatur spiritum eius; illud optabile his verbis præfigurans;
Euge, quod erit in proximo auditurus, qui in pauca fide-
lis,

Psalm. 115.

Psalm. 112.

Luc. 19.

lis, super multa es constitutus, Quos enim in Christo per
 Euangelium genuit, hos digne in domo Domini ad glo- 1. Cor. 4.
 riam ut mater filios, lætus recipit. Itaq; astante religiosi-
 sima CAMALDVLENSIS Ordinis congregatione, post in-
 timam peccatorum suorum CONFSSIONEM, post olei sa-
 crofancti VNCTIONEM, dominicis munitus SACRAMEN-
 TIS, idibus Iulij vita æterna mortem sæculi commutavit
 præsentis. Depositus est autem in Beati MICHAELIS mo-
 nasterio iuxta incomparabiles PISANORVM diuitias opti-
 mo Archiepiscoporum mausolio, vbi nesciuntur tenebrę,
 exclusę iugiter sole vel oleo. Nullus ergo ex simplicioribus
 huiusmodi tanquam fortuitis, etsi aduersis, quantum ad
 humanum aspectum scandalizetur casibus; cum Abrahę Gen. 22.
 patriarchę diuinitus præcipiatur, ut terram natiuitatis suę Deut. 34.
 egrediatur: Moyses & Aaron non in terra repromissio- Deut. 32.
 nis moriantur: Apostoli quoq; per omnes terrę fi- Psalm. 137.
 nes dispergantur, quatenus & nos non in ter-
 ra esse patriam sed cœlum verbis & ex-
 emplis instruamur.



Hh 2

CAR,